



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

Titulus XVIII. De Instructione Populi Per Catecheses, Et Conciones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

De Instructiōe Populi &c. 541
solo Parocho. Regulam hanc sæpe
limitat consuetudo.

TITULUS XVIII.

DE INSTRUCTIONE POPULI PER CATECHESSES ET CONCIO- NES.

§. 399.

TEMPLA ad eum etiam finem *Catecheses*
constructa sunt, ut populus in
iis commodius instruatur (§. 6. &
176.). Hæc instructio duobus po-
tissimum modis solet fieri. Si-
cuti enim ARISTOTELIS, aliorum-
que Philosophorum 87.) alia est me-
thodus *Exoterica*, qua rudiores pri-
mis disciplinæ cujusdam principiis
imbuuntur; alia *Acroamatica*, qua
doctrinæ graviores accurate tradun-
tur: ita etiam Religionis Christianæ
capita secundum duplicem hanc me-
thodum tradi solent. Ad Exoteri-
cam Theologiam spectat *Catecheti-
ca*, quæ præcipuas tantum & maxi-
me necessarias doctrinæ Christianæ
veritates in se continet, & metho-
dum

87.) A. GELLIUS Noct. attic. lib. 20. c. 5.

dum requirit, captui atque indo-
simpliciorum, rudiorumque homi-
num accommodatam. Altera me-
thodus accuratiorem tradit rerum
Divinarum cognitionem, solidiorum
veritatum demonstrationem, varia-
rum opinionum enumerationem,
falsarum refutationem &c.

*Jussu Con-
cilio Tri-
dentini*

S. 400. Per *Catechesin* intelligitur
familiaris explicatio doctrinae Chris-
ti, mysteriorum & veritatum Re-
ligionis, quarum notitia ad salutem
est necessaria. Solicite hæc adhiben-
ta est ab Apostolis 88.), & primis
Ecclesiæ Patribus 89.): inculcatum
que hæc summi momenti obligatum
a Concilio TRIDENTINO 90.)
Ut

88.) Vid. Joan. Georg. WALCHERUS
Apostolorum Institutione Catechetica
89.) Extant CYRILLI Hierosolymitani
Catecheses. S. GREGORII Nysseni
Catecheticus, præcipuos Religionis Chri-
stianæ articulos per quadraginta capitula
complectens. S. GAUDENTII Episcopi
Brixiani Orationes Catecheticae, quae
scripto tradidit in gratiam BENEVOLENTI
qui morbo impeditus, illis concionari
interesse non potuit.

90.) Sess. 24. c. 4. de Reform. Episcopi
saltem Dominicis & aliis festiis

De Instructiōe Populi &c. 543

Ut ista rite executioni daretur, visum est Patribus Tridentinis maxime referre, si liber sanctæ Synodi autoritate ederetur, ex quibus Parochi certa præcepta petere, atque depromere ad Fidelium ædificationem possint. In lucem igitur prodiit *Catechismus ex Decreto Concilii Tridentini ad Parochos*, ubi per quatuor capita omnis vis & ratio salutaris doctrinæ distribuitur, scilicet per Symbolum Apostolorum, Sacramenta, Decalogum & Dominicam Orationem. Cum autem hic liber in usum eorum, qui Catechismum tradunt, confectus sit, minores variæ præcipuorum capitum summæ sunt editæ, ex quibus vulgatissimus in Germania nostra est, Catechismus **PETRI CANISII**: Pontificum autem oraculis commendatur summopere libellus ex mandato **CLEMENTIS VIII.** a Cardinale **BELLARMINO** conscriptus, mox in deputata Congregatione diligenter examinatus
&

pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit, etiam per censuras Ecclesiasticas compellent.

& approbatus, ac denique ab eodem CLEMENTE in lucem editus (91.).

*ordinate
tradenda*

§. 401. Hi & alii recentiores Catechistæ plerumque ita dividunt doctrinam Christianam, ut primo loco tradant, quæ ad *Fidem*, exponendo Symbolum Apostolorum, secundo quæ ad *spem*, explanando Orationem Dominicam; tertio loco quæ ad *Charitatem* pertinent, inculcando Præcepta Decalogi & Ecclesiæ. Quarto loco tradunt doctrinam Sacramentorum, quæ sunt instrumenta ad obtinendas & conservandas virtutes, obtinendæ salutis necessarias, de quarum variis speciebus, uti & vitiis oppositis quinto loco differere solent. Quæcumque materiæ divisione uti libeat, summopere curandum, ut doctrina Christiana congruo ordine tradatur. Aptæ ad id comparatione utitur CYRILLUS 92.) : *edificium quoddam esse intelligas Catechesin, ac nisi ordinatis vinculis constringamus structuram, quid laxum & hians reperiatur, debet*

91.) BENEDICTUS XIV. Bullar. tom. 1. Const. 42.

92.) In Præfat. ad Cateches.

De Instructioe Populi &c. 545

fiet edificium : sed est opera pretium, lapidi lapidem apponi, & angulum angulo conjungi, atque superfluis abscissis, perfectas ades perficere &c. ad eundem modum, afferimus tibi tanquam lapides cognitionis &c.

Monet etiam BENEDICTUS XIV. 93.) non satis esse confusim & involute credere a Deo revelata, & ab Ecclesia Catholica proposita mysteria, sed singillatim hujus cœlestis doctrinæ capita explicentur, & eorum aliqua necessitate medii, aliqua vero necessitate præcepti Fidelibus ad credendum proponantur &c. &c. Unde etiam BENEDICTUS XIII. sua solitudine non indignum censuit, ut Catechesin pro pueris, qui primum Confessionem peragunt, vel Eucharistiam suscipiunt, Synodo suæ Romanæ adjiceret 94.).

§. 402. Singulare semper fuit officium Catechistarum in Ecclesia, quorum id est officium; ^{ab iis, quorum id est} rum erat, Catechumenos primis Religionis elementis instituire, & hoc modo ad recipiendum Baptismum præparare. Interdum ipse Episcopus

M m

pus

93.) Loc. cit.

94.) Appendix ad Concil. Rom. §. 29. & 30.

pus hoc officium peragebat, scilicet
 ultimis ante Pascha, quo Baptismus
 conferendus erat, diebus 95.). Alii
 temporibus Presbyteri 96.), & Diaconi
 97.), aut etiam inferioris ordinis Clerici
 hoc munere fungebantur: OPTATUS
 Lector erat Ecclesie Carthaginiensis,
 quem tamen CYPRIANUS Catechisten
 fecit, sive ut ipse loquitur, *doctorem*
audientium 98.). ORIGENES quando
 Catechista Alexandriae constitutus
 fuerat, certe maioribus Ordinibus
 non erat initiatus, cum eo tempore
 solummodo annorum octodecim
 ætatem haberet 99.).

Imo

95.) Colligitur ex verbis S. AMBROSII
 latis supra §. 13. not. 40.

96.) S. CHRYSOSTOMUS cum esset Presbyter
 Antiochiæ, Homiliam vigesimam
 ad Populum Antioch. inscripsit: *Catechesis*
ad illuminandos, hoc est, ad Catechizandos
 Baptismi.

97.) Ex AUGUSTINO de Catechizandis
 rudibus cap. I. discimus, DEO GRATIAS
 Catechisten fuisse, cum esset Diaconus
 Carthagine: quo rogante Augustinus
 hunc librum scripsit, subsidium quoddam
 in hoc officio peragendo ei subministraturus.

98.) CYPRIANUS Epist. 24.
 99.) EUSEB. lib. 6. c. 3. S. HIERONYMUS
 de Scriptorib. in Origene.

De Instructione Populi &c. 547

Imo etiam Diaconissæ privatum Catechistarum officium, rudiores & rusticas fæminas domi erudiendo, implere jussæ sunt 100.). Censemus enim, ejusmodi Catecheses non in Ecclesiis ad Synaxes destinatis habitas, sed etiam Viros Catechumenos in separatis auditoriis, fuisse instructos. Unde DEMETRIUS Alexandria Episcopus indignatus est, quod ALEXANDER Episcopus Hierosolymitanus & THEOCTISTUS Episcopus Casareensis ORIGENI publice in Ecclesia concionandi auctoritatem impertiti fuerint, cum tamen nondum esset Presbyter: ipse autem DEMETRIUS Catechistæ munus ipsi dederat: unde infertur, conciones has Catecheticas non fuisse habitas in publica Ecclesia; huic tamen conjuncta & ad tales usus aptata erant loca, quæ *Catechumenia* dicebantur 1.).

§. 403. His temporibus præcipua *Præsertim*
cura tradendi Catecheses in Ec- a Parochis:
M m 2 clesia

100.) S. HIERON. Comment. in Rom. XVI.
1. Concil. Carthag. IV. c. 12. ann. 398.
1.) De his LEO Imp. Novell. 73. Can.
TRULL. 97. ibique BALSAMON & ZONARAS.

clesia Parochiali incumbit Parocho 2.). Advertit autem BENEDICTUS XIV. satis experientia compertum esse, imparem esse solius Parochi laborem, cum nequeat unus omnes instruere, ubi Doctoris diligentiam numerus viccit. Adjuvare eos debent Ludimagiltri, patresfamilias, alique, praesertim ubi pia sodalitia erecta sunt, quorum cura in explicanda Christianae Religionis disciplina versatur. Putant aliqui, Parochum actu talem non satisfacere coram DEO, si toto anno ipsemet cessante iusto impedimento non Catechizat 3.).

sano

2.) Vid. P. SEBAST. D' ABREU specul. Paroch. lib 2. c. 5. MONACELLI formale leg. pract. part. 1. tit. 10. form. 18.
3.) Recentissimus Autor de *Modo rite et utiliter catechizandi* pag. 40. mediam hanc viam tenere dicit *Barbosam de offic. potest. Parochi. p. I. c. II. n. II. La Cret. l. 4. de Benef. Eccles. in addit. ad art. 9. 127. n. 865. cum pluribus aliis ab eodem cit.* Mihi non vacat, in errores typographicorum calami, qui in scribendis numeris facti irrepunt, indagare. Certe neuter horum Autorum in Editione, qua ego utor, huiusmodi citatis simile quid dicit.

ſano in ſenſu doctrina hæc intelligi debet; nam ſi credatur Parochus ſatisfacere muneri ſuo, una alterave vice per annum catechizando, & ad id eum teneri, ego ſane adoptare illam non auderem. Si enim Parochus *ordinarie* impeditus non ſit, debet ipſe fungi *ordinarie* hoc officio, poteſtque occurrente nonnunquam impedimento alterum ſubſtituere: ſi vero *ordinarie* impeditus ſit, poteſt id munus conſtanter alteri committere; nec tenetur uno tantum, vel altero die commiſſam cuiſpiam functionem interrumpere. Id autem habebit ſolatii, quod ſibi ipſi ſuggerit S. PETRUS DAMIANI, vocis raucedine a prædicando impeditus, dicens 4.) : *quod ſi Sacerdos quiſpiam ad utrumque non ſufficit, videlicet ut & vita clarus, & doctrine facultate ſit profluus; melior eſt vita procul dubio, quam doctrina.* Quamvis autem Parochus conſueto Catechiſmi per alium habendi tempore, functionem iſtam non obeat, non deerit tamen occaſio, niſi omnem animarum curam negligat, periclitandi peritiam.

Mm 3 ſuo-

4.) Lib. VIII. epiſt. I.

suorum Parochianorum, Regularium, qui in propriis Ecclesiis Catecheses libere habere possunt, nemo se intrudet in Ecclesias Parochiales, invito Parocho: ubi tamen necessitas aliquando urgebat utendi per longum temporis spatium eorum opera, inhumanus videbitur Zelus Parochi, si licet ipse ejusmodi officii *constanter* fungi non possit, eos abdicare velit. Advertunt Interpretes, ex oraculo Sancti Spiritus Medicum honorandum esse, non solummodo *in necessitate*, scilicet tempore aegritudinis; sed etiam eo tempore, quo quis sano corpore fruitur, *propter necessitatem*, etiam futuram. Circa hoc negotium Catecheticum de removendis Regularibus, solent quidam multa exscribere ex VAN-ESPEN, dissimulato tamen hujus Autoris nomine: nam eo audito, Lectorem facile refricaretur memoria illius temporis, quo nonnulli Episcopi Parochi nolebant subditos suos instrui doctrina mandatis Romanis conformi: unde remotos volebant quosdam Regulares, Constitutionibus Pontificiis obedientes. Quisquis demum Catechesin tradat; eam metho-

methodum tenere debet, quæ ætati, ingenio, moribus, conditioni audientium conveniat 5.); id agendo, ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat 6.).

§. 404. Obligatio audiendi doctrinam Catechetica[m] sane est maxima. *eas frequentantibus* Existima, ait S. CYRILLUS 7.), *tempus id esse plantationis arborum quo nisi fodiamus & inseramus, quando tandem poterit rectius plantari, quod semel est male plantatum?* Primis Ecclesiæ sæculis plerumque adulti, qui Catechumeni vocabantur, ante susceptum Baptisma principiis fidei & religionis imbuebantur: his temporibus idem Catechismus ante Baptismum instituitur, patrini tamen loco infantis respondent. Unde adultiores facti tenentur discere & scire ea, quæ per os patrini sui responsa & promissa fuerunt. Cum autem non levis sit multorum hac in re negligentia, hinc

M m 4 in-

-
- 5.) Videatur Proœmium Catechismi Romani.
 - 6.) S. AUGUSTINUS lib. 4. de doctrin. Christ. c. 28.
 - 7.) CYRILLUS HIEROSOLYM. in Præfat. ad Cateches.

indagandum sæpe, an adultiores sint bene instructi, præsertim quando Sacramenta suscipiunt, vel Matrimonio junguntur &c. In Ecclesiis ruralibus curandum summopere, ne desit occasio audiendi Catechesin: in urbibus vero invigilandum, ne negligatur occasio, quæ frequens & abundans esse solet.

Conceduntur Indulgentia.

§. 405 Ad promovendam instructionem Catechetica[m] varias Indulgentias concesserunt Summi Pontifices. Primum quidem GREGORIUS XV. anno 1622. concessit Religiosis Societatis JESU, & aliis cum iisdem in tradenda doctrina Christiana cooperantibus insignes gratias spirituales, ut videre est in ejusdem Pontificis Constitutione, quæ incipit *Pietatis*, relata in Instituto ejusdem Societatis: item INNOCENTIUS XI. Fratribus S. Francisci de observantia 8.). Has aliasque Indulgentias & gratias confirmavit ac extendit CLEMENS XII. in Brevi *Cœlestium* anno 1735. 9.).

§. 406.

8.) Per Breve *Pietatis*. dat. 30. Maij 1686. N. 154.

9.) Bullarii tom. 15. Const. 157. Similia Brevia idem Clemens XII. edidit 15. Novemb. 1730. & 16. Maij 1736.

De Instruktionem Populi &c. 553

§. 406. Altera instruendi populi, *Concionum*
& exactiorem mysteriorum notitiam *habenda-*
tradendi methodus fit per *Concio-*
rum *obliga-*
nes, & prædicationem Verbi Divini. *tio*

Hoc munus datur Diacono in ejus
ordinatione; dicit enim Pontifex:
Diaconum oportet ministrare ad altare,
baptizare & prædicare 10.), monetque
eos, ut Ecclesiam Dei, velut taber-
naculum, portent, & muniant or-
natu sancto, *prædicatu Divino*, exem-
plo perfecto. Nihilominus cum mu-
nus prædicandi præcipue pertineat
ad Episcopos & Presbyteros 11.);
Diaconus illud suscipere non debet,
nisi in eorum defectu, & eorum jus-
su, aut ex speciali privilegio; prout
Clericis Societatis JESU prima tan-
tum tonsura insignitis facultatem
M m 5 Ver-

10.) Pontif. Rom. tit. de Ordinat. Diaconi.
An per prædicationem solummodo intel-
ligatur recitatio Evangelii, quam facit
Diaconus inter Missarum solemnias? Vid.
THOMASSIN. de vet. & nov. Eccl. discipl.
p. 2. lib. 3. c. 86. n. 17.

11.) In Pontif. Rom. tit. de Ordinat. Pres-
byt. *Sacerdotem oportet prædicare... sit do-*
ctrina vestra spiritualis medicina populo Dei.
Item S. GREGOR. Pastor. p. 2. c. 4. *Præ-*
conis officium suscipit, quisquis ad Sacer-
dotium accedit &c.

Verbum Dei ubique prædicandi concessit PAULUS III. anno 1545. GREGORIUS XIII. anno 1584.

*inculcatur
a Concilio
Tridenti-
no*

§. 407. De hoc præcipuo Pallo- rum munere oportet & sufficit scire, quæ Concilium Tridentinum variis Sessionibus constituit & hotatur, ut quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis & festis solemnibus plebes sibi commissas propria & earum capacitate pascant & lularibus verbis; docendo, quæ scilicet re omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare, & virtutes quæ sectari oporteat 12.) : ut frequenter inter Missarum celebrationem, ex illis quæ in Missa leguntur, aliquid exponatur, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacramenti mysterium aliquod declarent 13.) ut

12.) Sess. 5. c. 2. de Reform. An in Ecclesiis Parochialibus inferioribus haberi debeant conciones formales & solennes an autem sufficiat instructio familiaris legi potest apud FAGNANUM in lib. Decretal. part. 2. c. inter cætera. de Ord. n. 33-

13.) Sess. 22. c. 8. de Sacrif. Missæ.

De Instructione Populi &c. 555

ut Episcopi, quorum præcipuum est prædicationis munus, in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem Ecclesiis per Parochos, siue iis impeditis, per alios ab Episcopo impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum, quadragesimæ & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuntient &c. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei 14.) : ut Episcopi non solum, cum Sacramenta per se ipsos populo erunt administranda, prius illorum vim & usum pro suscipientium captu, explicent, sed etiam idem a singulis Parochis pie prudenterque, etiam lingua vernacula, si opus sit, & commode fieri poterit, servari studeant 15.) :
apud

14.) Sess. 24. c. 4. de Reform.

15.) Ibid. c. 7. De Prædicationis munere
ve-

apud rudem plebem difficiles ac subtiliores quæstiones, quæque ad edificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus concionibus secludantur: incerta item, vel quæ speciosi laborant, evulgari ac tractari non permittant: ea vero quæ ad curiositatem quandam aut superfluitatem spectant, vel turpe lucrum capiunt, tanquam scandala & Fidelium offendicula prohibeant.

Episcopis, & Parochis; §. 408. Porro quando Patribus Tridentinæ Synodi in cætu generali, Sessioni quintæ præmissis propositus fuit articulus de obligatione Episcoporum per seipso concionandi, & de facultate Parochorum admittendi in suis Ecclesiis Regularibus ad habendas conciones absque prævio assensu Episcopi, magnæ contentiones ortæ fuerunt 16.). Demum post multas altercationes Constitutio Concilii VIENNENSIS 17.), quæ Men-

veterem & novam Ecclesiæ Disciplinam tradit THOMASSINUS part. 2. lib. 3. c. 82. seqq.

16.) Vid. PALLAVICIN. Hist. Conc. Trid. lib. 7. c. 4. & 5.

17.) Clement. dudum. 2. de Sepultur.

De Inſtructione Populi &c. 557

Mendicantibus prædicandi facultatem tribuit, moderationem aliquam paſſa eſt: decretum enim fuit 18.), Episcopos, aliosque Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum JEſu Chriſti Evangelium: impediti autem teneantur viros idoneos aſſumere ad hujusmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum: Parochi per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem dominicis & feſtis ſolemnibus plebem paſcant ſalutaribus verbis &c. Regulares vero niſi de Superiorum ſuorum licentia, & petita benedictione Episcopii etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: in Eccleſiis vero aliis ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Episcopii licentiam habere teneantur. Advertit PALLAVICINUS, facilem fuiſſe in hoc decretum conſenſionem, cum inde Episcopis acceſſerit plurimum, Regularibus minimum ſit detractum.

§ 409. Cum poſtmodum nonnulla etiam re-
la his ſaluberrimis Sacri Concilii centioribus
TRI- Decretis.

18.) Sefs. 5. c. 2. de Reform.

TRIDENTINI Decretis haud quaquam consentanea sensim in diversis Nationis Hispanicae locis obrepserunt, INNOCENTIUS XII. Summus Pontifex 19.) iis opportunum remedium adhibiturus, mente Congregationis particularis ad id deputatae 20.) praecipit inter alia, ut omnes, qui animarum curam gerunt, munus pascendi populum Verbo Divino, per seipsum, si legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exequantur, arguitque Parochos culpam amovenditentes, vel praetextu immemorabilis, sed pravae consuetudinis, quia haec ab ipsis praestari necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium sacras Conciones in aliis Ecclesiis &c.

Scriptores.

§. 410. Plurimi libri variis linguis scripti passim prostant, qui vitam Concionatoris Christiani formant, modumque utiliter concionandi

19.) *Constit. Apostolici Ministerii.* 13. M. 1723. §. II.

20.) Hujus Congregationis Secretarius PROSPER LAMBERTINUS, dein Benedictus XIV. prout ipse narrat *Bibliotheca* tom. 2. *Constit.* 3. §. *incredibilem.* pag.

De Instructione Populi &c. 559

nandi tradunt. *Latine* NICOLAUS CAUSSINUS de Eloquentia Sacra & Profana. SEBASTIANUS D'ABREU Instit. Parochi lib. 5. per tot. *Gallice* Autor libri, qui inscribitur: Instructions Ecclesiastiques. tom. 1. tit. 5. c. 4. seqq. *Italice* Il vero modo di predicare secondo lo spirito dell' Evangelio. Editus est Lovanii libellus & adjectus tomo 3. opusculorum D. MARTINI STEYAERT, qui inscribitur *Ecclesiastes*, sive de Ratione Concionandi Instructio triplex, S. FRANCISCI BORGIAE, S. FRANCISCI SALESII & JACOBI JANSSONII. Ex innumeris autem, qui integras Conciones in lucem ediderunt, seligendi sunt optimi, cum major earum numerus potius ad corrumpendam Eloquentiam sacram videatur idoneus.

TITULUS XIX.

DE CALENDARIO ECCLESIASTICO.

§. 411.

DIVINO Officio publice aut pri-Calendavatum recitando aut psallendorium Ecclesiam a primordiis Religionis Christianae, *sasticum.*
Ec-